




Nova adagiorum collectanea

<https://hdl.handle.net/1874/420898>

NOVA

ADAGIORVM COL=
 lectanea. Autore Hadriano
 Barlando, Rhetore
 Academiae Lo=
 uaniensis
 ꝛc.

IN VETERI VAN=
 gionum Vormatia. Anno
 M. D. XXXIII.



NOVA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ALPHABETICA

ERVDITIS

SIMO GRAMMATICO IOAN-
ni Despauterio Niniuitæ Hadrianus Bar-
landus S. P. D.

EMI superiore anno Erasmi Roterodami uiri
memoria nostra doctissimi, & de literis optime
meriti, Adagiorū opus eruditum: in quo cum uidis-
sem pleraq; Homeri carmina, ad prouerbiorum ratio-
nem detorta: cōtinuo, in Marone, latino Homero, idē
licere putans, uersiculorū ex libris Aeneidos, ceu syl-
uam quandam, paucis sanē mensibus, & quidem occu-
pator congesti, mi Ioannes. Videlicet ut poësis Ver-
gilianæ studiosis prodessem. Eam cum non ita multo
post ostendissem Martino Dorpio, & Gerardo Noui-
omago uiris, hic nō magis Theologiæ, quàm eloquen-
tiæ consultis. Hortari me illi & rogare etiam cœpe-
runt, ut idem in alijs Vergilij operibus facerem. fore
enim aiebant, ut mihi studiosi omnes iure deberent,
quod eis demonstraſsem Vergiliana carmina, quem-
admodum accomodari debeant. Ego igitur cum ut stu-
diosis gratum facerem, tum ut amicis honesta postu-
lantibus obtemperarem, feci idem pinguiore miner-
ua in Bucolico carmine. quod iam ad umbilicum (ut
aūt) perductum, cū uix in iustam aliquam libelli ma-
gnitudinem excreuisset, suppressendum putauit tantū

ſper dum ocium eſſet etiam Georgicorum prouerbial-
les ſententias, ueluti floſculos, quosdam decerpenti-
Sed non paſſi ſunt ita euenire amici mei, qui conuicijs
penè quotidianis, nugas à me quiſquiliasq; efflagitan-
tes, cenſuerunt exiguam mihi tentandam eſſe aleam,
quæ ſi nō male cecidiſſet: ædenda etiã eſſe aliquando,
quæ in Aeneida ſcripſiſſemus. Quid multis moror?
Tradidi Calcographo, is dum apparat, interea ego
mecum cogito, cui id eſſet opusculi dedicandum. Mihi
autem cogitanti, in mentem uenit, te abhinc trienni-
um, cum hic eſſes, abeuntem petiuiſſe, ut epistolam ad
te ſcriberem. Quod quia non feci, uel occupationibus
uel pudore fortasſe prohibitus, nunc pro epistola ue-
recunde, tum etiam flagitata, librũ tibi mitto, quem
oro, grata manu ſuſcipias. Spero autem ita, uel maxi-
me heroi literato Georgio Aloino Mæcenati tuo, ce-
terisq; ſtudioſis probatum iri cõmentariolos meos, ſi
quidẽ tu, ijs apud Flandros, in re literaria princeps
frontem exporrexeris. De reliquo opere, poſt
uidero, interea amicis doctiſſimis certo

ſatisfaciam, uel in hijs, ſi place-
bunt, uel in obſequio, ſi nō
placebunt. Vale.

Louanij.

Anno M. D. XIII.

Idibus Martijs.

Deus nobis hæc ocia fecit.

QUONIAM mortales tunc maxime Deum imitantur, cū benefaciunt. Idcirco, si principis cuiuspiam favore atq; liberalitate indubiamus effectum, ut omni paupertatis metu deposito liceat nobis ociose, in literario studio uitam exigere, mire congruet illud Vergilij Bucolicum: Deus nobis hæc ocia fecit. & quod paulopost sequitur: Ille meas errare boues, ut cernis, & ipsum. Ludere quæ uellem calamo permisit agresti.

Sæpe sinistra, caua prædixit ab ilice, cornix.

Hoc nunc etiam uulgo infœlix omen habetur, unde per iocum usurpabimus apud literatiores, quoties innuemus cuiquam, qui periculum incidit, multo ante prædictum ita futurum, ut tandem ueniret in magnū malum. Non excidit mihi legisse me apud commentatorem Vergilij, uersum hunc supposititium esse, sed quoniam in omnibus penè libris inest, uisum est admonere lectorē. Eiusdem est generis, quod præmittitur. Sæpe malum hoc nobis, si mens nō leua fuisset. De cælo tactas, memini prædicere quercus.

Sic canibus catulos similes.

Ad indicandam rerū dissimilitudinem conueniet illud: Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos.

Hæc tantum alias inter caput ex-
tulit urbes.

Quantum lenta solēt, inter uibur
na cupressi.

Huic locus erit, si quando significabimus urbem
quampiam, ædificiorum dignitate, opibusq; alias lon-
ge superare. Qualis nostra hac tempestate est Hant-
uerpia Brabantie ciuitas, templorum priuatarumq;
ædium, artificiosissima structura mirabilis, & ob por-
tus commoditatem florentissima. Ad quam non Hol-
landi solum, atq; Flandri populi finitimi, sed Hispani
etiam, & Galli, & Angli, & Itali confluunt, ut mer-
cimonia sua uenditent. Cæterum mihi hæc urbs im-
pensius placet, quod in ea primos ediderit uagitus Pe-
trus Egidius, uir latinæ linguæ doctissimus, mihiq;
propter egregiam doctrinam ualde coniunctus.

Non unquã, grauis ære, domum
mihi dextra redibat.

Si quis innuet se in gymnasio quopiam, politiores
litteras infœliciter docuisse, uixq; teruntium sibi ex
professione accessisse, dicet illud: Non unquam grauis
ære domum mihi dextra redibat. Vsurpat Rodolphus
Agricola in epistola quapiam.

Vicini pecoris contagia lædent.

Innuemus hoc uersu, bonos malos fieri, si cum ma-
lis ac pestilentibus hominibus uersari cœperint.

Ante leues ergo pascentur.

si cuius

Si cuius memoriam, nullo tempore, apud nos interituram indicabimus, conueniet illud: Ante leues ergo pascentur in æthere cœrui. Et freta destituent nudos in littore pisces. Quàm nostro illius labatur pectore uultus etc.

EX SECVNDA AE CLOGA.

Nec sum adeo informis, nuper
me in littore uidi.

In hominem Philauton, sibiq; immodice placentem.

Non ego Daphnim, iudice te,
metuam.

Si quis doctissimi cuiuspiam uiri contentus iudicio paruipendet, quæ de suis uigilijs, rudis inscitia censebit, dicet illud: Non ego Daphnim, iudice te, metuam.

Nec te pœniteat.

Si quem pœnitebit laboris, in studijs exhausti, is hoc carmine monebitur: Nec te pœniteat calamo triuisse labellum. Hæc eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?

Sordent tibi munera nostra,

In eum, qui nostra uidebitur aspernari.

Pallas, quas condidit arces.

Si quis dicet libenter se urbis delicias alijs relinquere, sibi uero ruris amœnitatem magis placere. Aut etiam significabit rem quampiam sibi displicere, ac commodabit illud: Pallas, quas condidit arces. Ipsa co

let, nobis placeant ante omnia syluæ.

Trahit sua quæquæ uoluptas.

Quum innuemus, non uno omnes studio duci, sed alijs alia placere, atq; (ut Terentius ait) quot homines tot esse sententias, quadrabit illud: Trahit sua quæquæ uoluptas. Huc alluisse uidetur Aulus Gellius in primo noctium atticarum, cū dicit: Alius ait hoc me primum doce. Item, alius hoc uolo, inquit, discere: istud nolo. Hic à symposio Platonis incipere gestit propter Alcibiadis cōmessationem. Ille à Phedro propter Lyse orationē. Est etiam, inquit, Proh Iupiter, qui Platonem legere postulat, non uitæ ornandæ, sed linguæ orationisq; comendæ gratia, nec ut modestior fiat, sed lepidior. Hactenus Gellius, cuius uerba adscripsimus, nō doctioribus istis, & libros domi habentibus, unde discant, sed pueris potissimum hæc elucubramus atq; utinam sic propediem omnes in literis proficiāt, ut ijs meis non sit opus. Sed nescio, quo pacto sunt pleriq; omnes ad latinas literas perdiscendas cunctatiores: & quasuis nugas, atq; Sylogismorū captionumq; dialecticarum laqueos citius amplectuntur, quàm id, sine quo, nulla disciplinarum satis sceleriter discitur.

Sol crescenteis discedens duplicat umbras.

Hoc uersu utemur in congressibus apud amicos, quum indicabimus ob solis occasum, finem colloquio, aut de ambulationi faciendum.

Quis

Quis enim modus adsit amori?

Quum significabimus, in omni re, penè facilius,
quàm in amore, seruari modestiã, applicabimus illud:
Quis enim modus adsit amori? Id enim habet amor,
ut suos sacrificulos exerceat.

Ah Corydon, Corydon, quæ te
dementia cœpit?

In amantes, siquidem amentes sunt amantes. Indi-
cat hoc perpulchræ Terentianus Cherea, qui cum in
platca, casu uidiſſet Pamphilam, tam impotenter cœ-
pit ardere, ut apud Parmenonem in uerba prorupe-
rit, quæ nõ, nisi ab amente dici solent. Ego nescio her-
cle, neq; quo eam, neq; quorsum eam, ita prorsus sum
oblitus mei. Venustior fiet uersus, si accommodabitur
in adolescentem, sterilibus uacantem studijs, cuiusmo-
di est poëtica. Nam hoc sæculo uulgius tales minus sæ-
pere dicit, qui se, post habito questuoso legum studio,
ad poëtice studium applicauerunt.

Quin tu aliquid saltem potius,
quorum indiget usus.

Viminibus, mollicq; paras dete-
xere iunco.

Hoc uersu ignauos, & nihil agentes, ad laborem
aliquem hortabimur frugiferum, quo famem propul-
sare possint.

Inuenies alium, si te hic fastidit
Alexis.

Hoc cōmodissimum erit, quotiescunq; arrogantio-
rem amicum, familiaritati nostræ renunciantem, inui-
cem nos contemnemus. Ad puellam etiam subtristem,
quòd ab amatorculo sit illusa destitutaq;.

EX TERTIA AECLOGA.

Quo nunc se proripit ille?

Si quis dicet scribeturè parum coherentia, ut impe-
riti in templis concionatores solent, quadrabit illud:
Quo nunc se proripit ille. Ad hunc sensum memini
usurpare Erasmus, in Morie declamatione, longe
doctissima.

Ipsè fatebatur, sed reddere.

Si quem dicemus fassum quidem se nobis pecuniam
debere, uerum non habuisse quod redderet. accommo-
dum fuerit illud: Ipsè fatebatur, sed reddere posse ne-
gabat.

Quid possit uterq;.

Si duo non illiterati, certamen inituri, dicent pe-
riculum faciendum, quantum uterq; ualeat dicendo,
nō ineleganter usurpabunt illud: Quid possit uterq;
uicissim experiamur?

Non ausim quicquam deponere
tecum.

Est certamen cum aliquo abnuentis.

Nec dum illis labra admoui, sed
condita seruo.

Apud

Apud doctiores, hoc uersu indicabimus auarū, qui
arculæ inclusis nummis uti non audet. quin fame po-
tius mauult interire, quàm uel teruntium ingenti de-
trahere aceruo. Sed & prius dimidium accommo-
dum fuerit, cum artis cuiuspiam imperitos nos esse fa-
tebimur.

Si ad uitulam spectes, nihil est
quod pocula laudes.

Cum significabimus ueteres illos in dicendi facul-
tate ita absolutos fuisse, ut uix aliquā Neotericis lau-
dem reliquerint, nō inconcinuiter accommodabimus
illud: Si ad uitulam spectes, nihil est quod pocula lau-
des &c.

Efficiam posthac ne quenquam
uoce lacessas.

Mine in petulantes filios discipulosq;. Sed & ge-
neratim in maledicum.

Sensibus hæc imis (res est non
parua) reponas.

Cum inuemus de re quapiam maturius consulen-
dum, huic uersiculo locus fuerit: Sensibus hæc imis
(res est non parua) reponas.

Et nunc omnis ager, nunc omnis
parturit arbos.

Nunc frondent syluæ, nunc for-
mosissimus annus.

Hoc carmine licetbit indicare uernum tempus, quo

letari omnia, & quasi arridere prætereuntibus uidentur &c.

Amant alterna Camœnæ.

Qui significabit cum intermissione studendum, ac ueluti respirandum esse à laboribus, dicet illud: Amant alterna Camœnæ. Eundem sensum habet uersiculus ille, qui nulli non est hodie in ore: Quod caret alterna requie durabile non est.

Iouis sunt omnia plena.

Vbi indicabimus, nusquam non esse, nihilq; non uidere deum, competet illud: Iouis sunt omnia plena.

Dum tu confectaris apros, ego retia seruo.

Hoc utinam duntaxat legeretur, nõ etiam sic agerent homines. Dicitur in eum, qui ex re quapiam ingentem pecuniam accipit, ne obulum quidem impartiens laborum socijs.

Pollio amat nostram.

Cum innuemus hominem quempiam amare atque magnifacere, à nobis etiam parum uenuste scripta, dicemus illud: Pollio amat nostram, quãuis sit rustica, musam &c.

Non nostrum inter uos.

Si quis rogabitur, ut litigantes duos, pluresue in gratiam restituat. hoc uersu, si nolit, negabit: Non nostrum inter uos tantas componere lites.

Vitula tu dignus.

Hoc

Hoc Vergilij dicto apud studiosos iocabimur in eū
qui ob minimum aliquod facinus, se putabit dignum,
qui amplissimis donetur premijs.

EX QUARTA AE CLOGA.

Non omnes arbuta iuuant, hu-
milesq; myricæ.

Hoc uersu dicemus, non omnes delectari rebus ru-
sticis, atq; humili oratione, & ideò dicendum esse in-
terdum de urbis delicijs bellisq; & ab humili sermo-
ne assurgendum nonnunquam paulo altius scriptori,
ut uarietate placeat lautiusculis.

Iam redit & uirgo, redeunt Satur-
nia regna.

Si quis indicabit etate sua pulsus bellis, & profligatis terra mariq; prædonibus, foelicius seculū esse, recte accommodauerit illud: Iam redit & uirgo, redeunt Saturnia regna. Qualia sub Saturno fuerint secula, nullus, credo, paulo humanior nescit.

Tuus iam regnat Apollo.

Cum inuemus nihil, non assequiturū quempiam, cuius amicus sit magistratus, aut urbis præfectus, accommodum fuerit illud: Tuus iam regnat Apollo.

Duræ quercus sudabunt.

Quoties indicabimus, nunquam euenturū aliquid, aut tam raro solere contingere, ut stultissimum uideatur sperare. licebit usurpare illud: Duræ quercus su-

dabunt. Et hunc in modum scite usurpabimus, id quod speras, futurum equidem puto: Cum durae quercus sis dabunt roscida mella. Huic affine est Græcorum adagium. Ad Græcas Calendas. quod in prouerbiorum Chiliade prima interpretatus est Erasmus Roterodamus nostra ætate decus linguæ latinæ.

Iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Qui uolet innuere uirum magnitudine animi excellentem, & de quo non minus sit patriæ expectandum, quàm Græcis olim ab Achille. non in eleganter citauerit illud: Iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

O mihi tam longe.

Si quis uitã sibi prorogari, tantisper optabit, dum hoc uel illud uiderit, aut hanc aut illam disciplinam cognouerit. illud accomodet licabit: O mihi tam longe maneat pars ultima uitæ spiritus.

Non me carminibus uincet, nec Thracius Orpheus, nec Linus.

Hoc, cuiuspiam notabimus, in perceptis disciplinis aut certe gustatis, iactantiam. quæ omnino intolerabilis est, nisi is, qui sese insolētius iactat, apprime doctus sit. Superioribus affinem habent sensum, quæ proxime apud poetam sequuntur: Pan etiam Arcadia dicat se iudice uictum &c.

EX QVINTA AECLOGA.

Tu maior, tibi me est æquum
parere.

Hoc hodiernis temporibus usurpant studiosi literarum, innuentes cedendum esse, & locum dandum grandiori. Siquidem nullo non sæculo adhuc habitus est honor senectuti.

Lenta salix quantum pallenti.

Si quem, cui multis partibus in studijs doctrine præferendum censebimus. locus erit hijs uersibus: Lenta salix quantum pallenti cedit oliuæ. Puniceis humilis quantum saliuuca rosetis. Iudicio nostro, tantum tibi cedit Amyntas.

Tu decus omne tuis.

Si quem egregie eruditum, aut claris ortum natalibus hominem, indicabimus. præclaris facinoribus, familiam, ex qua sit ortus, illustriorem, facere cõgruet illud: Tu decus omne tuis.

Postquam te fata tulerunt. Ipsa
Pales agros, atq; ipse reliquit
Apollo.

De interprete doctissimo, cuius interitu significabimus collapsum propè literarum studium.

Infœlix lolium, & steriles dominantur auenæ.

Si quod innuemus gymnasium, ubi pulsus rectis stu-

dijs, barbaries & garrulitas forensis, omnia occupas
uerint, adducemus illud: Infelix lolium, & steriles
dominantur auene.

Daphnis ego in syluis.

Qui superbe iactabit, ob doctrinam, nomen suum,
per omnes ferè terras propagatum esse, nõ in scite ri-
debitur hoc uersu: Daphnis ego in syluis hinc usq; ad
sidera notus etc.

Nec calamis solum æquiparas,
sed uoce magistrum.

Hoc uersu laudabitur discipulus, doctrina, præcep-
tore suo non inferior.

An quicquam nobis tali sit mu-
nere maius?

Attollitur ultima huius uersiculi, nihil tamen ue-
tuerit, eo significare, munus ab amico transmissum,
nobis fuisse gratissimum.

Ipsè fuit cantari dignus.

Si quem uirum dicemus iure ab optimis laudatum
scriptoribus. cõueniet illud: Ipsè fuit cantari dignus.

Ista iam pridem Stimichon lau-
dauit carmina nobis.

Solent impensius placere nobis, que intelleximus,
doctissimis aliquando uiris probata. Ad id cõueniet il-
lud: Ista iã pridem Stimichõ laudauit carmina nobis.

Candidus insuetum miratur.

Ruri habitantibus id usu euenire solet, ut si quans
do in

do in urbem aliquam primum commeauerint, ad omnia aedificia mirabundi resistat, in quibus plus operæ quam in suis illis casulis consumptum putent. In eam sententiam quadrabit illud: Candidus insuetum miratur limen olympi.

Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra.

Hoc amicis hybernis mensibus foci, æstate uero, propulsandi æstus gratia, umbræ submonebimus, ut meminerit. Sed et in ociosos nulliq; rei manum admoventes, quid congruentius?

Saltantes Satyros imitabitur Alpheus.

Quadrabit in ebrium, cui iam plus poto saltare solum libet.

Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?

Quum significabimus, non habere nos, quo literati munus amici compensemus, non intempestiuum fuerit illud: Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona? &c.

Nec me tantum uenientis sibilus austru.

Nec percussa iuuant fluctu tam littora, nec quæ Saxofas inter decurrunt flumina ualles,

Hac Bucolica comparatione utemur, quoties aut
lectione nobilissimi scriptoris, aut literassimi epistola
amici, incredibili nos dicemus affectos uoluptate.

EX SEXTA AECLOGA.

Nec Phœbo gratior ulla est.

Si quem innuere uoles, qui scriptore aliquo præ
cipue delectetur, congruet illud. Nec Phœbo gratior
ulla est, quàm sibi quæ Vari præscripsit pagina no
men. Et mihi præ cæteris placuit semper Terentius,
quo sospite nunquam sentiet exitium lingua latina.

Ah uirgo infoelix, tu nunc in mō
tibus erras,

Ille latus niueū molli fultus hia
cyntho.

Illic sub nigra pallētes ruminat
herbas.

Aut aliquam in magno sequitur
grege.

Hiscæ uersibus contemptum ueteris amicula signi
ficabimus, aut si libebit in usum uerecundio rem tra
here, usurpari poterit, cum indicabimus aliquem pri
stinis neglectis amicitijs, alio transtulisse amorem. In
illos etiam accommodabitur, qui studijs doctrine nec
glectis, diuersa sequuntur.

EX SEPTIMA AECLOGA.

Arcádes ambo, & cantare pares.

Si quando loquemur de duobus apprime literatis in eadem etiam terra natis, apposite dicetur illud: Arcádes ambo, & cantare pares, & respondere parati. Quales fuisse ueteres illos legimus Catullum, & Plinium: Atq; hac etiam tempestate noscimus Erasmus Roterodamum, & Martinum Dorpium. Quibus uiris, quum communis sit patria Hollandia, commune etiam studium est, ut à uulgo hominum doctrina & dicendi, scribendiq; nitore, quàm possint, longissime absint.

Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.

Quum innuemus inter duos pertinacius concertatum, accommodabimus illud: Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.

Posthabuí tamen illorum mea.

Quum dicemus nos, aut comœdiarum festiuitate, aut lepore dialogorum quorundam sic allectos, ut illorum lectionem habuerimus præpositam rebus nostris scrijs, non inconcinniter usurpauerimus illud: Posthabui tamen illorum mea seria ludo.

Rumpantur ut ilia Codro.

Si gestiemus præclarum aliquot facinus ædere, ut gloriæ nostræ inuidentibus homuntionibus oculi do-

leant, citabimus illud: Inuidia rumpantur ut illa
Codro &c.

Candidior cygnis, edera formo-
sior alba.

Hoc carmine mulieris cuiuspiam laudabimus for-
mam. Huc haud dubie respexit Guilielmus Gouddanus
traducens apologum Aesopi, de coruo & uulpecula.
Quem apologum, cum nuper auditoribus meis enar-
rarem, uisus mihi sum, non huius temporis scriptorẽ,
sed ueterum aliquem interpretari. Est enim ita pure
atq; eleganter traductus, ut uel ipse Terentius, si rea-
uiuiscat, nolet aliter, atq; ille traduxerit, trãsserre.

Siqua tui Corydonis habet te
cura,

Si quis literatus è dolore laborans, ob quem publi-
co abstinere cogatur, literarum studiosum amicũ, per
epistolam orabit, si se amet, ad se ut adeat, non infesti-
uiter, usurpabit illud: Siqua tui Corydonis habet te
cura, uenito.

Proiecta uilior alga.

In homines, qui neq; sibi, neq; alijs sunt utiles, huius
ius prouerbij nescio meminere ne Erasmus.

Hæc lux toto iam longior anno
est.

Hoc uideri solet pueris in scholis sedentibus, &
amatoribus (ut Flaccus ait) mentitur amica.

Ite domum pasci, si quis pudor.

Homi

Homines omnium rerum saturos, hoc uersiculo mon-
nebitur, ut domum concedant, ne ebrij in plateis cō-
specti omnibus sint ridiculo.

Hic focus, & tædæ pingues.

Cum significabimus, nos domi habentes perpetuo
igni calentem foculum, nihil curare, quantum foris
seuiat gelu, accommodabimus illa: Hic focus, & tædæ
pingues, hic plurimus ignis semper. Et assidua postes
fuligine nigri. Hic tantum Boreæ curamus frigora.
Quantum aut numerum lupus, aut torrentia flumi-
na ripas.

Si formosus Alexis.

Videmus euenire, nonnunquam in publicis gymna-
sijs uiri multa doctrina præditi abitione, ut ipse quoq;
qui ante fuit studiorum ardor abeat, irrepitq; in illi-
us locum desidia morbus teterrimus, quo qui corre-
ptus est, nihil molitur dignum fama & laude percen-
ni. Ad hanc sententiam quadrabit illud: Si formosus
Alexis Montibus his abeat, uideas & flumina sicca.

Populus Alcidæ gratissima, ui-
tis Iaccho.

Formosæ myrtus Veneri, sua lau-
rea Phœbo.

His uersibus dicimus uarios rebus uarijs delectari,
atq; appositiſſime in studijs accommodabitur, si quan-
do uidebimus duos literarum bonarum perstudiosos
adolescentes, quorum unus uersu, alter autem prosa

orationis magis delectetur &c.

EX OCTAVA AECLOGA.

Sola Sophocleo tua carmina di-
gna cothurno.

Cum significabimus cuiuspiam uersus dignissimos, qui laudentur à poëtis laudatissimis, mire conueniet illud: Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno. Sophocles autem fuit poëta tragicus nobilissimus, quem scribit M. Tullius à filijs in iudicium uocatum, cum obstudium, rem familiarem neglectui habere uideretur.

Mopso Nisa datur.

Cum inuicemus deformi marito formosam contigisse uxorem, & inerudito scriptorem eruditum, quare nihil esse potest magis ridiculum, applicabimus illud: Mopso Nisa datur. Ego quoq; profusus ridere soleo, quoties uideã apud sacrificulos quosdam illiteratissimos, diui Hieronymi atq; Augustini scripta, quæ illi quidem manibus contrectare possunt, intelligere non possunt, ut qui ne delibauerint quidem unquam literas. Vnde fit, ut nec horarias preces suas intelligant, quas quotidie in templis corrupte permurmurant.

Quid non speremus amantes?

Amor ad industriam excitat animum, artiumq; magister

gister est optimus, qui, uix quisquam dixerit, nedum
ego quantus fuerit in priscis illis Philosophis, qui di-
sciplinarum gratia tantas regiones pedibus obierunt,
tot etiam transmiserunt maria.

Nec curare deum credis mortalia
quaenquam.

In hominem intrepide peccantem, minimeq; hor-
rentem diuinum numen.

Iam fragiles poteram à terra con-
tingere ramos.

Elegantissimus hic uersiculus ad significandum pu-
erum masculinum, usui fuerit, si pro ratione sententiæ
uerbum mutare uoluerimus.

Nunc scio, quid sit amor.

Si quis amatoriarum satur leuitatum, in amorem,
utpote in rem perniciosissimam uolet inuehi, usurpa-
bit illud: Nunc scio, quid sit amor, duris in cotibus il-
lum. Ismarus, aut Rodope, aut extremi Garamantes:
Nec nostri generis puerum, nec sanguinis edunt. Et
quæ proxime sequuntur apud poetam.

Oues ultro fugiat lupo.

Cum indicabimus rem aliquam, nunquam euentu-
sam, quam alius putet posse contingere, competet il-
lud: Oues ultro fugiat lupo. Subaudi prius: Aurea
dura Mala feret quercus. Et quæ proxime apud poë-
tam sequuntur in eundem sensum.

Extremum hoc munus.

Si quis graui morbo implicitus, mortemq; quoti-
die expectans, amico quippiam legabit, poterit illud
allegare. Extremum hoc munus morientis habeto.

Non omnia possumus omnes.

Hunc uersum posuisse duntaxat, fuerit satis, nam
in Adagiorum Chiliadibus interpretatus est eundem
Erasmus Roterodamus.

Nihil hic nisi carmina defunt.

Quoties in conuiuio, significabimus in maxima ci-
bariorum copia, atq; in summa etiam conuiuiarum o-
mnium hilaritate, deesse duntaxat forma egregia pu-
ellam, quæ ad mensam cantillet, non inconcinriter
usurpabimus illud: Nihil hic nisi carmina defunt.

Nihil ille deos.

In hominem abhorrentem à studijs poëtice, atq; hi-
storiæ ucteris, quadrabit illud: Nihil ille deos, nil car-
mina curat. Erit quoq; usui, cum dehortabimur quæ-
piam, ne ad hominē crassiore ingenio, & à musis alie-
nissimum, carmen mittat, quo ille non magis delecte-
tur, quàm optimo uino canis.

**Qui amant, ipsi sibi somnia fin-
gunt.**

Nimium cupientes, solent nonnunquam credere id
esse, quòd non est. Vnde homines ad rem attentiores,
opibusq; duntaxat accumulandis studentes, somniant
nonnunquam repperisse se aurum, idq; credentes per
somnia, falso gaudio ducuntur, ad hoc faciet illud

Vergi-

Vergilianum: Qui amant ipsi sibi somnia fingunt.

EX NONA AECLOGA.

Quo te Mœri pedes?

Cum non spectamus certum, quod agamus, conueniet illud: Quo te Mœri pedes? an quò uia ducit in urbem?

Sors omnia uersat.

Cum innuemus fortunam, in omni re plurimum dominari, non intempestiuum fuerit illud: Sors omnia uersat.

Carmina tantum Nostra ualent
Lycida, tela inter Martia,
quantum.

Chaonias dicunt, aquila ueniente,
columbas.

Hoc uersu indicabimus frigere studia inter strictos gladios, neque esse, quod magnopere quispiam poemata studeat dedicare principi in re bellica occupato.

Quod innuere etiam uidetur Horatius, cum ait: Nec cum uenari uolet ille poemata panges. Et paulopost: Quotiesque educet in agros Aeolijs onerata plagis iumenta canesque. Surge et in humanae senium deponere canene.

Heu cadit in quenquam tantum
scelus?

Hoc uersu exaggerabimus crimen, quod maius pu-
tabimus, quam ut in hominem cadere possit.

Penè simul tecum solatia rapta
Menalca.

Hoc uersiculo significabimus ueteris discessu ami-
ci, nobis ademptum quicquid ante solatij habuimus
atq; delectationis. Nihil enim dulcius est, quam habe-
re, cum quo partiri curas dulcissimas, ac nugari sua-
uiter, interdum possis. Qualis hic mihi amicus fuit Io-
annes Borsalus, uir nullo non præconio maior, qui si-
mul ac in Zelandiam Canonicus factus migravit, &
me censui dimidium animæ meæ, & studiorum ac la-
borum meorum calcar, & quasi quendam socium &
comitem districtum.

Occursare capro (cornu ferit ille)
caueto.

Dicetur in hominem maledicum, ac præferocem,
quem haud quaquam impune laceffas. Ab hoc nihil il-
lud disidet Horatianum: Fœnum habet in cornu.

Mantua uæ miseræ.

Plurimum mali sæpe est ciuitati à uicina ciuitate,
ad hoc significandum conueniet illud: Mantua uæ mi-
seræ nimium uicina Cremonæ. Quod non intempesti-
uiter tunc quoq; usurpabimus, cum inuenimus mini-
me conuenire inter uicinos, qui in eadem arte uersan-
tur. Siquidem inter hos artificij similitudo emulatio-
nem ferme solet conciliare. Vnde dicitur etiam hodie
uulgo

uulgo nostrati. Figulus figulo, faber inuidet fabro, su-
tori sutor, poëta poëta, & causidico causidicus.

Non ego credulus illis.

Hoc dicitur, cum indicabimus, nos minime fidem
habere uerbis cuiuspiam intemperantius garruli, so-
let enim nõ raro euenire, ut pleraq; mentiatur, quis-
quis multum loqui conctur. Huic omnino simile Te-
rentianum illud in Andria, mihi quidem non fit ueri-
simile &c.

**Argutos inter strepere anser o-
lores.**

Hoc quoq; prouerbij Erasmus interpretatus est.

Huc ades ò Galatea.

Cum non longe à mari habitantem amicum admo-
nebinus, ut in urbem commigret, ubi stridentes aui-
lone procellas non sit auditurus, utemur hoc carmi-
ne: Huc ades ò Galatea, quis est nam ludus in undis?

Hic uer purpureum.

Contra si quando orta in urbe quapiam pericu-
losa seditione monebinus amicum, ut uitato strepitu,
intestinisq; discordijs, ad ruris se conferat delicias, tra-
datq; se ocio & tràquillitati, usurpare licebit illud:
Hic uer purpureum, uarios hic flumina circum Fun-
dit humus flores, hic cãdida populus antro Imminet,
& lentæ texunt umbracula uites. Huc ades, insani se-
riant sine littora fluctus.

Numeros memini, si uerba tenerẽ.

Cum indicabimus, nos nō posse satis ad uerbum me-
moriter narrare, quæ apud autorem aliquem legeri-
mus, nō alienum fuerit illud: Numeros memini, si uer-
ba tenebam. Est apud Vergilium: Lycidæ pastoris in-
nuentis meminisse se quidem modulatā quandam ima-
ginem Rythmōn amici, uerum non tenere uerba car-
minis etc.

Omnia fert ætas, animum quoq̃.

Quoties inuuenus in sensibus corporis, uires con-
flescere atq; deficere, memoriam etiam minui, con-
gruet illud: Omnia fert ætas, animum quoq̃.

Sæpe ego longos.

Cum iactare quispiam uolet, in studijs transactam
sibi adulescentiā, tempestiui utetur illo: Sæpe ego
longos cantando memini puerum me condere soles.

Nunc oblita mihi tot carmina.

Cum senes iam indicabimus nobis excidisse omni-
no, quæ aut pueri, aut adolentes didicerimus, con-
ueniet illud: Nunc oblita mihi tot carmina, uox quo-
que Mœrin iam fugit ipsa. Vtitur diuus Hieronymus
in epistola ad Nepotianum.

Lupi Mœrin uidere priores.

Cum hoc prouerbiū meīs illinerem lucubratiu-
culis, frater meus germanus iuuenis non abhorrens à
studijs humanitatis, dixit mihi idem ab Erasmo enar-
ratum, qui si reliquos quoq; omnes Vergilij uersus, ad-
dagionis speciem præ se ferentes, aut congeisset an-
te hæc

te hac, aut nunc per ocium posset, meo consulisset la-
bori, nulla uenustioris literaturæ studiosorū iactura.

Nunc omne tibi stratum filet æ-
quor.

Cum significabimus, nullis flantibus uentis non esse nauigandi facultatem, apte quadrabit illud: Nunc omne tibi stratum filet æquor, & omnes. (Aspice) uē-
tosi ceciderunt murmuris auræ.

Cantantes licet usq; (minus uia
lædet) eamus.

Cantiunculae amceniores, & facetus sermo, uel longis-
simum iter breue facit, atq; ita iucundum, ut eun-
di laborem non sentientes, minime defatigemur, ad
hoc significandū ualet illud: Cantantes licet usq; (mi-
nus uia lædet) eamus. Cum nuper ego frigore anni me-
dio Louanio, Bruxellam uersus irem, prius omnino
in urbem ipsam uentum est, quàm ullus ad me defati-
gationis sensus peruenerit. Nam mecum illo demul-
cendi atq; laxandi animi gratia uenerat Ioānes Mun-
terius Gandauensis, homo doctus omnino, atq; Philo-
logus, qui mihi, tum fuerat pro uehiculo in uia, quæ
admodum domi est, in utriusq; linguæ studijs, non in-
iucundus socius.

Ego hoc te fasce leuabo.

Adiuuare onera amico cupientes, dicimus illud:

Ego hoc te fasce leuabo.

Desine plura puer, & quod nunc

instat, agamus.

Cum admonebimus quenpiam silentij, ad mensam
sedentes, ut famelicis nobis, haud libeat prius fabulari,
quàm iratum uentrè placauerimus, nō infestiuiter
usurpabimus illud: Desine plura puer, & quod nunc
instat, agamus.

EX DECIMA AECLOGA.

Non canimus surdis.

Si quis præceptor innuet, ea quæ docet, ab audi-
toribus memoriæ mandari, allegabit illud: Non cani-
mus surdis.

Illum etiam lauri, etiam fleuere
myricæ.

Si quando significabimus in hominis docti, atq; elo-
quentis morte nullum studiosorum fuisse, qui non la-
chrymas dederit, accommodabimus illud: illum etiam
lauri, etiam fleuere myricæ. Pinifer illum etiam sola
sub rupe iacentem Menalus, & gelidi fleuerunt saxa
Lycei &c.

Vuidus hyberna uenit de glande
Menalcas.

Si quis uspiam contemptissimis cibis uescens, alijs
pinguis, & bene curata cute uidebitur, poterit illud
per iocum usurpare: Vuidus hyberna uenit de glande
Menalcas. Vel etiam conueniet in indoctos & barba-
ros,

ros, qui nihil tenent mundioris literaturæ.

Et nigræ uiolæ sunt, & uaccina
nigra.

Si quis male audiet, quod facie sit atra, in commē-
dationem atrii coloris eleganter adducet illud: Et ni-
græ uiole sunt, & uaccina nigra.

Hic gelidi fontes, hic mollia pra-
ta Lycori.

Hic nemus, hic ipso tecum con-
sumerer æuo.

His uersibus utemur, quoties indicabimus nos op-
pidi cuiuspiam amenitate peculiariter delectari.
Quale in Brabantia Louanium, cuius famam ameni-
tatis latius diffudit gymnasium, quod habet ijs nostris
temporibus in omni penè disciplinarum genere ita flo-
rens, ut huic ipsas uix Athenas prætulerim. In Flan-
dria autem Gandauum oppidum, præterquam quod
amenum, etiam magnis & multis nobilium uirorum
ædificijs, antiquorum operum emulum, cui equidem
fateor, me semper plus cæteris fauisse, quod olim hic
didici latinæ linguæ rudimenta, cū puer undecim na-
tus annos à patre meo fœlicis memoriæ illo essem de-
ductus, traditusq; erudiendus Petro Scoto, quem uirū
illius ciuitatis, ingenio atq; doctrina præstantissimum
audeo dicere. Sed ad institutum recurro, ne quis me
dicat in medijs commentarijs Panegyricum scribere,
quanquam uideo summos scriptores, nonnunquam uo-

luptatis caussa, & ut marcentem quasi stomachum lectoris excitet, in digressiones expatiari. Ego uero hic nonnihil à proposito digressus sum, ut grati discipuli officio fungerer, non ut uel ipse uoluptatem aliquam caperem, uel lectori oblectamenta quærerem.

Certum est in syluis, inter speleæ ferarum.

Cum seruus quispian inuuet immitius se tractari ab hero duro, malleq; se, uel inter feritate formidabili ursas, leonesq; in solitudinibus uersari, quàm tale diutius monstrum perpeti, dicet illud: Certum est in syluis, inter speleæ ferarum, malle pati.

Libet Partho torquere Cydonia cornu,

Si quis indicabit, lusibus uacare se, ut quod in animo est molestiæ pellat, usurpabit illud: Libet Partho torquere Cydonia cornu Spicula, tanquam hæc sit nostri medicina furoris.

Omnia uincit amor, & nos cedamus amori.

Hoc carmine potentiam amoris licebit indicare, de qua sunt non inelegantes apud Apuleium in quarto de axino uersiculi, quos non pigeret subscribere, nisi si promptum esset cuilibet apud auctore ipsum legere, qui Philippi Beroaldi uiri in literis non postremi nominis cura, pristinum decorem nuper adeptus hodie passim prostat.

Et quis

Et quis erit modus?

Si quando hominem contubernalem, nocte concubia, studentem reperiemus, locus fuerit illi: Et quis erit modus? Quo quidem monebimus eum, ne ita sit in studijs assiduus, ut corpus afficiat, quo nomine Marcum principem Romanum legimus correptum à domesticis.

Nec gramina riuus. Nec cythiso saturantur apes, nec fronde capellæ.

Si quis innuet studiosum poëticæ, non facile exple ri lectione boni poëtæ, congruet illud: Nec gramina riuus. Nec cythiso saturantur apes, nec fronde capellæ.

Soli cantare periti Arcades.

Hoc usurpabimus, si libebit in quospiam iocari, qui disciplinam aliquam ita sibi uendicant, ut nihil alijs relinquunt. Quemadmodum Itali eloquentiam asserunt, atq; hoc nomine sibi placent ita insolenter, ut si quando quid etiam rustice dixerint, hoc ipsum elegantissimum atq; à musis ipsis profectum uideri uelint. Ceterum hoc uersu, serio fortasse laudari illi possent, nisi nunc in Germania quoq; uiri essent utriusq; linguæ peritissimi, qui non solum docendo politiones quotidie suos reddunt, sed scribendo etiam Germanicam eternitati commendant.

Mihi tum quàm molliter ossa
quiescent,

Si quis indicabit se in patria apud fumantes carni-
um ollas; uitam transfacturum curarum omnium ex-
pertem, dicet illud: Mihi tum quàm molliter ossa quies-
cunt &c.

Non illum nostri possunt muta-
re labores.

Ad significandum puerum indocilem, & ad disci-
plinas ineptum, cōueniet illud: Non illum nostri pos-
sunt mutare labores.

Gracili fiscellam textit hibisco.

De ijs, qui in humili quapiam re operam sumunt.

Amor tantum mihi crescit in
horas.

Quantum uere nouo uiridis se
subijcit alnus.

Hoc uersu inuemus augeri indies amorē nostrum
in bonas literas, idq; fit, si optimis assueuerimus ab ip-
sis crepundijs, si paruuli primos illos scriptores Ver-
gilium, Horatium, Ciceronem, Terentium deniq; im-
biberimus, cuius quidem poëta sex fabulas, qui non le-
gerit, is, quid eleganter aut dicere in corona, aut scri-
bere possit, non uideo. Vnde magis etiam miror, hunc
poëtam dignum studiosis ingenuarū artium, dignum
claris uiris, dignum principibus, dignum regibus, ho-
die in tam paucis literarijs ludis doceri, ex cuius lex-
tione studiosi iuuenes plusculum reportare possent
emolumentum, quàm ex alio quouis ueterum. Quod ui-
dentes

dentēs in Zelandia quoq; præceptores aliquot bene
literati, nuper pueris Terentium prælegere cœpe-
runt, cuius poëtæ Comœdijs, si illi immuffare perrex-
erint, fpero fore propediem, ut Zelandia mea

non minus literas, quàm noscere di-

catur mare, quo cingitur us-

dequaque, nec mi-

nus ab ora

tionis

nitore, quàm domesticæ suppellectilis

munditia (quæ huic cum Hol-

landia finitima regio-

ne conuenit)

lau-

dari ab omnibus

debeat.

F

I

N

I

S

C 2

HADRIA

NI BARLANDI CARMEN
de laudibus amenissimi Louanii.

ITalia laudent alij cælumq; locumq;
Ego te canam Louanium.
Namq; mihi ante alias urbs uisa es nuper amœna.
Doctis & apta Vatibus
Mane, satur somni cum amplis spatiarer in hortis
Ruterij, legens iocos.
Sunt tibi syluæ, & fronde uirentia mœnia late.
Nec non feraces hortuli.
Flumina sunt, liquidi fontes, uallesq; lacusq;
Viridiq; ripa gramine,
Hic quoties memini cantando sumere soles.
Longos, & altam uesteram?
Vere nouo tibi stat uestita & frondibus arbos,
Et flore campi & herbulis.
Hinc auium blando cantu mulcetur & ær,
Et ambulantium auribus
Nil non blanditur, nil non arridet ocellis.
Ver labitur, uenit noua
Aestas, cum segetes tellus nitidissima fundit.
Magnis tibi prouentibus.
Aestatem autumnus sequitur, cum poma nucemq;
Domi uides multam tuæ.

Surgens


Surgentesq; rudes primis de uitibus uuas,
Et uina non prorsus mala.
Nec glacialis hyems usquam minus aspera, uentri
Viris amica deditis.
Adde tot egregias ædes, operosaq; templa
Vicosq; multo amplissimos,
An memorem doctos de religione loquentes?
Legumq; consultos uiros?
Et quos delectat facundia, quiq; poëtas
Gestant manu semper bonos?
Tu genus ipsa hominum simplex effers, quibus omnis.
Erecta mens ad cœlites.
Salue clara domus musarum, ipsisq; beata
Magis iugis Parnasijs.

TELOS.

C 3

2030215

IN VETERI VANGIONVM
VORMATIA EXCVDE-
BAT SEBASTIANVS
VVAGNER. ANNO
M. D. XXXIIII.
MENSE SEP-
TEMB.



2070 215

7510-13.

